



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Vita, Epistolae, Et Decreta Felicis Papae II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

VITA,
EPISTOLÆ, ET DECRETA
FELICIS PAPÆ II.

Ex libro pontificali Damasi papæ.

FELIX natione Romanus, ex patre Anaftasio, ^b sedit annum vnum, menses tres, dies tres. ^c Hic declarauit Constantium filium Constantini hæreticum, & secundo rebaptizatum ab Eufebio Nicomediensi iuxta Nicomediam in Aquilone villa. ^d Et pro hoc declaratu, ab eodem Constantio Constantini Augusti filio, martyrio coronatur, & capite truncatur. Hic fecit basilicam via Aurelia milliario ab vrbe secundo, cum presbyterii honore fungetur. Et ad eandem basilicam emit agrum circa locum, quem obtulit ecclesiæ quam fecit. Hic fecit ordinationem vnam in vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros 21. diaconos 5. episcopos per diuersa loca 19. Qui etiam passus est in ciuitate Corona cum multis clericis & fidelibus occulte iuxta muros vrbis * ad lacus Traiani, tertio Idus Nouembris. Et exinde raptum est corpus eius a presbyteris & clericis noctu, cum Damaso presbytero, & sepultum est in basilica supradicta, quam ipse via Aurelia construxerat, * duodecimo Kalendas Decembris, milliario secundo. Et cessauit episcopatus dies 38.

* decimo
septimo

NOTÆ.

^a *Felix.*] Felix, Liberii diaconus fidelis & catholicus, ab Arianis suffectus est in locum exulantis & relegati Liberii. Pontificiam sedem si (quod ait liber pontificalis) legitime tenuit, viuente adhuc atque pro fide exilium sustinente Liberio vero pontifice, non aliter quã chorepiscopus obtinuisse potuit, ne vnus corporis ecclesiæ duo forent capita: si vero, quod communiori patrum sententiæ conuenientius est, ab Arianis in eam intrusus, ab iisdem molitione Epicteti episcopus ordinatus fuerit, vt schismaticus aliquis, iure magis vsurpato quam debito eandem occupasse debuit. Ab eo tempore, quo Felix Constantium, Vrsacium, Valentem, aliosque Arianos excommunicando, vexillum fidei ipse erexit, quoque Liberius ob manifestam cum hæreticis communionem, a catholicorum communionem plane extorris existimatus est, quasi impossibile sit eum-

Felix quis-
lis, & a qui-
bus ponti-
fex creatus
sit.

dem cum hæreticis & catholicis simul communicare posse: ille omnium catholicorum iudicio, quamquam antea schismaticus fuisset, legitimus ecclesiæ catholicæ pontifex haberi cœpit. Vide quæ supra diximus in notis ad vitam Liberii, Concilium Mediolanense & Sirmiense.

Felix legitimus pontifex haberi quando incœpetit.

Tempus sedis.

^b *Sedit annum unum, menses tres, dies tres.*] Nimirum a lapsu Liberii ad obitum suum. Idem fere Sozom. lib. 4. c. 14. dicens, eum post reditum Liberii tantum ad modicum temporis spatium sedem tenuisse. Huic sententiæ etiam illud consentaneum est, quod non nisi unam ordinationem mense Decembri fecisse dicatur. Quod ait Marcellinus, Felicem post obitum Constantii mortem oppetiisse, & ad consulatum Valentiniani atque Valentis, annis videlicet octo post reditum Liberii superstitem fuisse, quodque Romanus clerus, Liberio in exilium misso, iurauerit se nullum creaturum pontificem, donec Liberius ipse restitueretur, quosdam vero ex illis periueros effectos Felicem intrusisse, maiore affectu erga Vrsacium quam veritate scripsit & dixit. Vide Baronium anno 357. num. 61. & 67.

Constantius an rebaptizatus secundo fuerit.

^c *Hic Constantium secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi.*] Constantium secundo rebaptizatum fuisse ab Eusebio Nicomediensi, falsissimum est: tum quod Athanasius lib. de Synod. & Socrates lib. 2. cap. vlt. affirmant, eum tempore mortis ab Euzoio Ariano baptismo initiatum fuisse: tum quod Hilarius lib. de Synod. post hæc tempora in eum inuehatur, quod non regeneratus, ut ait, ecclesiis credendi formam præscribere auderet. Vide Baronium anno 357. num. 62.

^d *Et pro hoc declaratu, &c. martyrio coronatur.*] De obitu Felicis, liber pontificalis hic, & in vita Liberii mire admodum variat. Eum martyrio occubuisse testatur Romanum martyrologium. Quod ingressus illius vitiosus sit & iniquus, & de exitu ipsius scripta inter se pugnantia nutent; ideo tempore Gregorii XIII. anno Christi 1582. diu multumque inter viros doctos, ad corrigendum martyrologium deputatos, dubitatum fuit, deberetne hic sanctus Felix in eundem martyrologium referri. Expunctum fuisset nomen illius, nisi arca marmorea in basilica sanctorum Cosmæ & Damiani vigesima octaua Iulii, pridie nimirum eius diei, quo celebrari solebat memoria huius Felicis, inuenta fuisset cum hac inscriptione, antiquis characteribus marmori incisa: *Hic iacet corpus sancti Felicis papa & martyris, qui Constantium hæreticum damnauit.* Quam inuentio-nem cum omnes non immerito diuinitus contigisse crederent, suam quam conceperant sententiam merito retractarunt, eamque in maiorem martyris gloriam commutarunt. Vide Baron. anno 357. num. 63. Bellarm. lib. 4. de Roman. pontif. cap. 9.

Felix quomodo in martyrologium relatus sit.

Dei prouidentia erga ecclesiam. Felix Arianos, per quos sedem acceperat, anathemate ferit.

Summam Dei prouidentiam, qua semper moderatus est ipsam Romanam ecclesiam, hic lector mecum paulisper intueri. Labefactato non quidem participatione hæresis, sed Arianorum dumtaxat communionem Liberio, Felicem antea eorundem communicatione coniunctum ex aduerso Deus excitat; statimque eundem erigit aduersus

uersus eos ipsos Arianos, quorum sane ope fuerat Romanam cathedram consecutus, & magno præsidio contra aduersarios confirmat; sicque ad pugnam roborat, vt exagitans omnes Arianos, eorumque principem Constantium anathemate feriens, pro mercede corona martyrii insignitus fuerit. Felice defuncto, nullus in locum eius subrogatus est: nam Liberius abrupta penitus, quæ recipiendæ sedis causa intercesserat, Arianorum communione, ab omnibus legitimus Romanæ ecclesiæ pontifex, vt fuerat ante, cognitus & acceptus est. Rifu igitur potius quam redargutione dignum est recentiorum quorundam historicorum, quos libenter sequuntur Magdeburgenses, commentum, dicentium Felici secundo fuisse successum Leonem quemdam Arianum, in S. Hilarium parum æquum, quem sero ad Synodum accedentem, in pœnam humi confidere iusserit: atque ideo eadem a Deo vindice, qua Arius, pœna mulctatum, vna cum visceribus animam efflauisse. Sed cum omnium antiquissimorum testimonio, Leo I. tempore Concilii Calchedonenfis sederit; cumque nulla mentione huius rei facta, omnes omnino Liberio & Felice defunctis, Damasum substituerint; non historiam, sed fabellam esse scias, a recentioribus forte excogitaram, quod falso opinati fuerunt, Liberium, Felice secundo expulso, instar Leonis in catholicos sæuuisse. Vide Baron. anno 357. num. 69. Bellarm. lib. 4. de Rom. pont. cap. 9.

Felici defuncto nū alius successus fuerit.

Hæreticorum fabula de Felice successore Leone.

EPISTOLA

ÆGYPTIORVM PONTIFICVM

AD FELICEM II: PAPAM.

De infestationibus Arianorum.

Domino beatissimo & honorabili, sancto patri Felici, sanctæ sedis apostolicæ urbis Romæ papæ, Athanasius & uniuersi Aegyptiorum, Thebaidorum, & Libyrorum episcopi, in sancta Alexandrina Synodo gratia Dei congregati.

VESTRO sancto suggerimus apostolatui, vt nostri, more solito, sollicitudinem gerere dignemini, iuxta vestram prudentissimam sapientiam, quæ omnibus luce clarius manifesta est: quia apostolicis vestra beatitudo visceribus commota super tribulatione nostra, nos omnes hortata est, ad tuitionem catholicæ & apostolicæ ecclesiæ in vnum conuenire, & de nostra oppressione canonice & vnanimiter tractare, dum constat vos vna cum B. Paulo apostolo eadem compassibiliter dicere: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & non ego uror? satagentes,* ne aliqua de his, quæ vobis creditæ sunt, rationabilibus

Concil. Tom. 3.

Hh

ouibus a bestiis capiatur. Ideo pater beatissime, quia semper antecessores nostri, & nos a vestra apostolica sancta sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnouimus, præfatam apostolicam & summam expetimus iuxta Canonum decreta sedem, ut inde auxilium capiamus, unde prædecessores nostri ordinationes & dogmata atque subleuationes ceperunt. Ad eam quoque quasi ad matrem recurrimus, ut eius vberibus nutriamur, quoniam non potest mater obliuisci infantem suum. Sic & vos nolite obliuisci nos vobis commissos, quoniam non leuibis nos inimici nostri implicauerunt afflictionibus, & quotidie facere moliuntur, & apprehendere, aut ferris nos constringi minantur, nisi eorum consentiamus erroribus: quod nequaquam vobis inconsultis agere præsumimus, Canonibus quippe iubentibus, absque Romano nos de maioribus causis nihil debere decernere pontifice. Ideoque ad propositum recurrentes, & ad brauium properantes, vestra apostolica sedis imploramus auxilium: quia, ut credimus, non despexit Deus preces cum lacrymis sibi oblatas seruorum suorum, sed ob id vos prædecessoresque vestros, apostolicos videlicet præfules, in summitatis arce constituit, omniumque ecclesiarum eis curam habere præcepit, ut nobis succurratis, nosque tuentes, cui omne episcoporum iudicium est commissum, liberare ab hostibus nostris non negligatis. Nam scimus in Nicæna magna Synodo trecentorum octodecim episcoporum, ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani pontificis sententia Concilia celebrari, nec episcopos damnari, licet hæc & alia quam plura necessaria ab hæreticis, qui nos quotidie infestant & perdere nituntur, ut facilius nos capere possint, sint synodica capitula incensa, nobisque sublata. Qua de re, hac inuenta occasione indifferenter, omni canonica & apostolica postposita auctoritate, nos vi a propriis, vobis inconsultis, illicite expellunt sedibus: ouesque nobis a Christo Domino apostolica commissas gratia, inuadunt, gradibus priuant, & quod pessimum est, & omnibus Christianis legibus inimicum, interficere decernant. Vos ergo (ut semper vestrae sedi sanctæ consuetudo fuit) periclitantibus subuenite, oppressos roborate,

tribulatis manum porrigite, taliaque prohibete, & leges imponite, vt apostolica doctrina, quæ in Deo est, cito ad victoriam iudicium perducere valeat nostrum, nosque (apostolorum principe suffragante Petro) ab imminenti- bus periculis liberare. Nouimus namque in iam præfata Nicæna Synodo generaliter esse decretum, vt nullus pas- sim vageque episcopos, aut præsumptiue lacerare, aut ac- cusare, & qui non sunt rectæ fidei, vel bonæ vitæ, vel cla- ræ conuersationis, aut infamare præsumat: sed prius, si er- ga episcopos vel auctores ecclesiæ quisquam causam ha- buerit, eos cum caritate mansuete conueniat, vt ab eis vulnus, vnde agitur, recte sanetur: aut ipse, si secus egerit, accusator excommunicetur. Quod si ab eis nihil value- rit recte percipere, tunc primo summos adeat primates, & ipsi, tempore congruo, canonicè eos conuocare debe- bunt. Qui si aut suis rebus expoliati, aut a propriis sedibus eiekti, aut exulantes, vel oppressi, aut inique tractati fue- rint, primo eruantur, & canonicè restituantur, atque om- nia sibi sublata integerrime eis legibus reddantur: quoniam priusquam hæc fiant, (vt in prædicto constitutum est Concilio) nec canonicè conuocari, nec distingui a quo- quam possunt, quoniam nec sæculi leges hæc fieri permit- tunt, quanto magis ecclesiastica? Similiter & a supradic- tis patribus est definitum consonanter, vt si quisquam e- piscoporum, aut metropolitanorum, aut comprouincia- les, vel iudices suspectos habuerit, vestram sanctam Ro- manam interpellet sedem, cui ab ipso Domino pote- stas ligandi ac soluendi speciali est priuilegio super alios concessa. Ipsa enim firmamentum a Deo fixum & im- mobile percepit, quoniam ipsam formam vniuerso- rum titulorum lucidissimam, Dominus Iesus Christus vestram apostolicam constituit sedem. Ipsa est enim sa- cer vertex, in quo omnes ecclesiæ vertuntur, sustentan- tur, releuantur. Et sicut in Christo Christiani, & in pe- tra, id est Christo, Petrus, Petri renouantur ecclesiæ. Tu es enim (sicut diuinum veraciter testatur eloquium) Petrus, & super fundamentum tuum ecclesiæ colum- næ, id est, episcopi, qui ecclesiam sustinere, & pro- priis humeris portare debent, tibi sunt confirmata, ti- bique clausura regni cælorum commisit, atque ligare &

Et habetur
in epistola
decr. Iulii
contra o-
rientales
pro Atha-
nasio, c. 7.

Ibid. cap. 17.

Ibid. cap. 8.

Ibid. cap. 4.
Ibid. cap. 3.

Matth. 16.

Matth. 16.

Concil. Tom. 3.

H h ij

soluere potestatiue quæ in terra, & quæ in cælis sunt, promulgauit. Tu profanarum hæresium, & impetitorum, atque omnium infestantium depositor, vt princeps & doctor, caputque omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis. Igitur ne despicias, pater, tuorum patrum pietatem, bonamque intentionem. Et sicut illi, patres & prædecessores nostros a multis liberauerunt oppressionibus & angustiis, ita nos liberare digneris. Nam fuit semper vestra sanctæ & apostolicæ sedi licentia, iniuste damnatos vel excommunicatos, potestatiue sua auctoritate restituere, & sua eis omnia reddere, & illos, qui eos condemnauerunt, aut excommunicauerunt, apostolico punire priuilegio, sicut etiam nostris & anterioribus cognouimus actum temporibus. Porro & ipsi primates, qui episcoporum & summorum ecclesiasticorum negotiorum causas suscipere debent, in præfixa Nicæna Synodo sunt dinumerati, ne in posterum contentio ex hoc oriatur. O sanctissime pater patrum, absconde blasphemias, & iactantiam vaniloquorum, & insidiantium infestationes, nos & fratres nostros opprimantium, atque perdere volentium, qui ad vos, quasi ad caput confugimus, vt vestro suffulti auxilio liberemur, & vobis nobisque commissas Christi oues, a luporum ore, Domino adminiculante, antequam deglutiantur, eripiamus. Nec enim fas est, supplicum apostolicæ sedis scripto, aut sine scripto preces oblatas despiciere, sed (vt condecet, vt priuilegium vestrae sedis est) & nos & illi canonicaliter conuocemur, & ante vos de nostris obiectionibus canonicè cum omni probitate concertemus, sicut prædecessores nostri penes vestros fecerunt antecessores, & sicut canonica in prædicta sancta Synodo docent instituta, & veluti palliati * verbi per ventilabrum canonicæ examinationis, plenam purgationem in communi consistentes auditorio, de maturis & enutrientibus catholicæ ecclesiæ dogmatibus, quæ confirmant cor hominis, per participationem paternarum consequamur institutionum. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quidquid quamuis in remotis aut longinquis positis prouinciis super episcoporum querelis, aut accusationibus ageretur, non prius tractandum vel accipiendum esset, quam ad notitiam almæ sedis

* iuxta
quæ fuis-
set pro-
nuntiatio
facta, in-
firmare-
tur, aut

vestræ fuisset deductum, vt huius auctoritate, * iuxta quæ fuisset, pronuntiatio infirmaretur, aut firmaretur: indeque fumerent normam, vnde ecclesiæ sumpserunt prædicationis exordium, ne passim ab insidiatoribus columnæ euerterentur ecclesiæ. Certum est enim, eidem sanctæ sedi vestræ, in honorem beatissimi Petri, patrum decreta peculiarem decreuisse reuerentiam Dei, pro rebus inquirendis atque determinandis, quæ solícite decet, iusteque ab ipso præfulum examinari vertice apostolico, cuius solícitudo semper fuit & est, tam mala damnare, quam probare laudanda. Quocirca humillimum vestro apostolico culmini persoluentes obsequium, vt ipse Dominus præcepit, & sanctorum decreta patrum statuerunt, cum lacrymis suggerimus, quod sine gemitu cordis reticere non valemus. Nam in tantum a persecutoribus sanctæ Dei ecclesiæ, nostrisque inimicis persequimur, vt magis nos tædeat viuere, quam mori. Vnde præ omnibus fatemur in tantum cor esse nostrum vulneratum, vt propheticum illum planctum exoptemus, dicentes: *Quis dabit capiti nostro aquam, aut oculis nostris fontem lacrymarum, vt sedentes, ploremus die ac nocte?* Jerem. 9. Ecce enim ecclesia Dei non leuiter perturbatur, columnæque eius nimis infestantur, atque a prauis amoueri hominibus nituntur. Christianorum vero voces ac gemitus episcoporum longe latèque resonant, nouitates insurgunt, calumniæ crescunt, persecutio grafatur, perditio fit populorum. Vestrum est enim, nobis manum porrigere, quia vobis commissi sumus. Vestrum est nos defendere atque liberare; nostrumque est a vobis auxilium expetere, vestris parere iussionibus. Præ nimio ergo dolore & gemitu, omnia quæ nobis instant, & nos infestant, * necessario recordari, vobisque significare nequimus. Ideo alium vestrum exoramus apostolatam, vt super his legem, quæ in memorata Nicæna Synodo est promulgata, licet prædictorum insidiatorum & aliorum malorum hominum (vt facilius episcopos, Dei que ministros valeant illaqueare) deprauatione sit suffocata, reparatis: & quæ necessaria fore cognoscitis, vestræ sanctæ sedis auctoritate nos cunctosque fratres informetis, vt malorum insidias hominum, vestra fulti auctoritate, illæsi, Domino opitulante, euadere valeamus: quia non est

* necessa-
ria

Hh iij

ouium, insidias luporum præuidere, sed pastorum est. Scimus enim (vt semper vestræ sedis præfules, primo apostoli, deinde successores eorum fecerunt) vos vniuersalis ecclesiæ, & maxime episcoporum, qui oculi propter contemplationem & speculationem, vocantur Domini, curam gerere, ac de reuelatione & lege nostra assidue cogitare debere, sicut scriptum: *Beatus vir qui meditatur in lege Domini die ac nocte*: quæ meditatio non lectione per figuram literarum tantum conspecta, sed exuberante in vobis Christi gratia, in vestra cognoscitur conscientia immobiliter insita, & nullatenus de vestro corde recedente lege Christi Dei Domini sacrosancta, sicut in psalmo dicit Propheta: *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius: non atramento, sed spiritu Dei viui vestra in arcana conscripta; neque in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*, sicut beatissimi apostoli Pauli ad Corinthios missa nos docet epistola. Quibus præmissis, significamus Deo placitæ paternitati vestræ, die 17. Kalendarum Augustarum, indiçtionis quartæ, nostram humilitatem, diuina gratia, suo (vt præcepit) munere præueniente, vestris sanctis ac Deo dignis precibus in sancta Romana ecclesia pontificalis honoris accepisse consecrationem & stolam: in quo dignitatis fastigio, vt a Deo omnipotente regamur altissimo, & a malis omnibus liberemur, vt non sacerdotale nomen tantum, sed Christi Domini Dei nostri protegente auxilio, & meritum habeamus, vestris sanctis ac Deo acceptabilibus nos commendantes orationibus, poscimus, quatenus & vestris deprecationibus pro nobis ad Deum effusis muniti, & eruditionibus bonis instructi, digni efficiamur, cum omni nobis populo Christiano commisso, illæsi, protegi velamento diuino. Ad salutationem ergo vestræ sanctæ & honorandæ paternitatis vice nostra, Benedictum humilem vestrum fratrem, nostrum episcopum, & Alexandrum presbyterum, Crispinum quoque diaconum, vestros famulos destinauimus, quos postulamus celerius nobis a vestra beatitudine persolui, vt vestris cohortationibus roborati, & vestris regulis informati, inimicis videlicet compressis, ad proprias prudenter consolati valeamus ecclesias ante hiemem Deo propitio remeare. Vestrum est quippe,

Psal. 1.

Psal. 36.

2. Cor. 3.

pater sanctissime, canonica districtione solcite, ecclesia-
 stica regula aduersantibus, & fratrum infidatoribus ob-
 uiare, nec permittere nouiter dici, quod patrum venera-
 bilium auctoritas omnino non censuit. Nos enim humi-
 les corde, quæ recta sunt, adiuuante Domino, sapientes,
 vno vinculo caritatis vobiscum sumus constricti, veram
 fidem ac religionem catholicam in omnibus fortiter de-
 fensantes. Studiosius itaque a catholicis, improbis probe
 resistere innitendum est, ne torpentes desidia oppressi,
 culpæ taciturnitatis teneamur obnoxii, & quasi fauorem
 impendentes iudicemur, dum aduersa catholicæ fidei
 propulsare negligimus. Vnde dictum est: Negligere quip-
 pe, dum possis derurbare peruersos, nihil aliud est, quam
 fouere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui mani-
 festo facinori desinit obuiare. Liquet, doctor sanctissime,
 venenosa serpentium sine simplicitate astutia, dum mani-
 festa est dolosa inimicorum fallacia. Succurrite, quæsu-
 mus, oppressis, liberate nos de manu persequentium, vt
 cum beato Iob cantetis: *Benedictio perituri super me veniebat,* ^{Iob 29.}
& cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum, & vestiui me,
sicut vestimento & diademate, iudicio meo. Oculus sui cæco, & pes
claudo. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, dili-
gentissime inuestigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus
** illius* ^{* illius} *eorum auferebam prædam. & reliqua. Nos enim quos tua*
 maxima expectat cura, id est, omnes episcopi, præcipue
 tuum mereri debemus iudicium, & non ab aliis deuora-
 ri. Merito ergo nos Domini causa respicit sacerdotes, si
 silentio faueamus errori. Siquidem corripiantur huius-
 modi, nec sit liberum eis, pro voluntate facere iudi-
 cium. Desinat nouitas incessere vetustatem, desinat ec-
 clesiarum quietem inquietudo turbare. Nam vt omnes
 metropolitani vel reliqui episcopi sua odia aut vindictas
 in reliquos episcopos exercere non valeant, ideo nomi-
 natim in Nicæna Synodo expressi sunt primates, qui
 reliquos episcopos audire & iudicare debeant, ne vlla
 fraus in iudicio episcoporum possit irruere. Vos ergo, qui
 in summa specula gratia Dei estis positi, attendere eos &
 opprimere oportet, qui in fratres seditiones & scandala
 excitant. Ideoque exoramus, vt minime despiciatis hu-
 militatis nostræ & omnium orientalium orthodoxorum

sacerdotum & populorum afflictiones, & deprecationes cum lacrymis oblatas, sed sicut luminaria vniuerso mundo, verbum vitæ retinentes, introductas extinguite tenebras nefandissimorum insidiatorum, temporibus etiam nostris procaciter germinatas, quatenus funditus extincta huiusmodi caligine, lucifer nobis resplendeat per vos, sanctissime pater, & dogmatica definitio vbique omnes latificans, quam gloriosi ecclesiæ sanctæ patres per propria piissima dogmata in æternæ vitæ firmam hereditatem prædicasse noscuntur.

Et subscriptio.

Incolumem te & beneplacitum Deo, sanctissime pater patrum, orantem pro nobis, Dominus custodiat in æuum. Amen.

NOTÆ.

Suspectæ fidei epistola arguitur.

* *Epistola.*] Hæc epistola sub nomine Athanasii ad Felicem ex Synodo Alexandrina scripta ab episcopis Ægypti, Thebaidis, & Libyæ, de fide suspecta est, tum quod hoc tempore, quo Athanasius fuga elapsus in eremo latitabat, quoque cum Liberio omnes episcopi orthodoxi, decreto imperatoris & Mediolanensis Concilii, sedibus suis exturbati erant, neque locus, neque tempus cogendæ Synodi esse potuerit: tum quod hac epistola ad Felicem scripta, ipsum Felicem de sua ipsius ordinatione certiore reddat. An rescriptum Felicis fortasse eodem defectu laboret, alii iudicent. Illam epistolam, cuius fragmenta sub nomine Felicis in Calchedonenſi Concilio extant, a Felice secundo scriptam fuisse, doctissimis quibusdam viris auctoribus, existimatum est, hac de causa, quod prædictum fragmentum in Concilio Calchedonenſi act. I. & apud Cyrillum in sua apologia post epistolam Iulii papæ attexatur. Sed eam sententiam ex argumento & titulo eiusdem epistolæ redarguimus supra in notis ad 4. epistolam Felicis primi.

^b *Et sicut.*] Legendum videtur: Et sicut in Christo Christiani, ita & in petra, id est, Petro, renouantur ecclesiæ: vt sit sensus, Romanæ ecclesiæ pontificem, si quid in ceteris ecclesiis vitiatum aut deprauatum sit, sua auctoritate & posse & debere corrigere.

EPISTOLA I.
FELICIS PAPÆ II.

Rescriptum ad episcopos in Alexandrina Synodo congregatos.

- | | |
|---|---|
| I. <i>Vt nemo episcopum penes arbitros
seculares accuset.</i> | XIII. <i>De accusationibus episcopo-
rum, & ineptitudine accusan-
tium.</i> |
| II. <i>Si quis aduersus episcopum cau-
sam habuerit.</i> | XIV. <i>Qui non debeant admitti ad
accusationem.</i> |
| III. <i>De eadem re.</i> | XV. <i>De eadem re.</i> |
| IV. <i>De episcopis rebus suis expoliatis,
aut a sede puls.</i> | XVI. <i>Licere in ecclesiasticis negotiis,
dicta causa & finita, recedere,
quod in secularibus non licet.</i> |
| V. <i>Infames & sacrilegos ad testi-
monium non admitteudos.</i> | XVII. <i>De accusationibus episcopo-
rum.</i> |
| VI. <i>Si episcopus vocatus ad Conci-
*lium, ire non potuerit.</i> | XVIII. <i>De non terminandis causis
episcoporum absque auctoritate
Romani pontificis.</i> |
| VII. <i>De causis qua legibus non con-
tinentur, vel prohibita noscuntur.</i> | XIX. <i>Si episcopus a comprouinciali-
bus, vel a metropolitano senserit
se pregrauari.</i> |
| VIII. <i>De accusationibus episcopo-
rum, & rerum suarum ablata-
rum redintegratione.</i> | XX. <i>De iudiciis episcoporum, & de
tempore concesso ad preparan-
dum, & comparendum.</i> |
| IX. <i>Quibus non liceat accusare, vel
testificari.</i> | XXI. <i>De iudicibus & accusatori-
bus, quales debeant esse.</i> |
| X. <i>De eadem re.</i> | |
| XI. <i>De personis accusatorum.</i> | |
| XII. <i>De primatibus & metropolita-
nis.</i> | |

Reuerendissimis atque dilectissimis fratribus, Athanasio & uni-
uersis Aegyptiorum, Thebaidorum, Libyorum episcopis, in san-
cta Alexandrina Synodo congregatis, Felix almæ Romanæ
urbis & vniuersalis ecclesiæ episcopus, & sancta Synodus, quæ
in urbem Romam conuenit, in Domino salutem.

SACRAM vestram synodicam epistolam, per gratiam san-
cti Spiritus, & Deo placitum studium conscriptâ, ve-
strâ a Deo honorandæ sanctitatis gratia libenter suscepimus, atq; instanter in Synodo recitari per singula iussimus,
& omnes intente eius colligere verba præcepimus: su-
per quæ dū latari sperabamus & cupiebamus, versa est in
luctum cithara nostra, cantatio in plorationem, & omne ^{166.30.}
totius Synodi gaudium in mœrorem translatum est: quia
non decuerat, vt hi qui corpus Christi quotidie proprio

6. quest. 1.
Quiescite,
inquit sancta.

Eccles. 4.

Zachar. 1.

conficiunt ore, tantam paterentur persecutionem, quoniam Dominus Deus noster salutem providens generis humani, mandavit persecutiones non fieri, neque fluctuationes inferri, nec invideri laborantibus in agro Dominico, neque dispensatores magni regis vexari aut expelli. Quiescite, inquit sancta magna Nicæna Synodus, & nolite persequi eos qui Deo perfecte ministrant, & sincera voluntate Dei superni mandata custodiunt, & nostris legibus subiugantur; quia nec decet, nec ordo patitur, ut iniqui & carnales, spirituales persequantur. Omnis enim qui resistit alicui, nunc vertendo, nunc celando veritatem, mentitur aduersus eum, contra quem litigat. Et qui infestus est alicui, omnia sicut hostis agit, & insuper loqui contendit. Vos enim monemus, fratres, in speculis esse debere, ut in quantum potestis, & Dominus auxilium dederit, talibus nostra apostolica, vestraque auctoritate resistatis, nec quisquam vestrum a fratris auxilio se subtrahat, sed pro viribus præstet adminiculum. Quoniam, licet pauci sitis, si vnanimes fueritis, nullatenus, iustitia suffragante, Domino quoque opem ferente, superabimini, quia *funiculus triplex difficile rumpitur*. Nam si officiis sæcularibus humana lex subuenit, quanto magis ecclesiasticis & Domini sacerdotibus, maximeque pontificibus, qui pupillæ oculorum Domini nuncupantur, diuina atque catholica lex suffragari debet? Ait enim diuinum de episcopis eloquium; *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. Et si sæculares humana multipliciter explorantur homines lege, & requisitiones atque induciæ eius multorum mensium conceduntur, ne iniuste damnentur: quanto magis episcopis, qui proximiores sunt Deo, & super hos constituti, positique in caelesti militia, quæ impensius ponderanda est, tempora sunt concedenda multo ampliora, ne a quibusdam grauentur, opprimantur, vel subito damnentur? Incipiamus ergo, adiuuante Deo & sancto Petro apostolo, per quem apostolatus & episcopatus in Christo cœpit exordium, quoniam plures sæpe emerferunt causæ, quæ in quibusdam non erant causæ, sed crimina: quia magis, ut comperimus, iniquitate, quam caritate fratribus sunt impositæ; & ut de cetero sollicitudo sit ne talia eueniant, capitula quædam

a sanctis patribus tam in Nicæna Synodo, quam & in hac sede constituta, ponamus, quibus fratres & coepiscopi nostri fulti, insidias inimicorum, auxiliante Domino, valeant euadere, & prout Dominus posse dederit, paucioribus verbis tantorum malorum imitemur compendium, & strictim, quæ in volumine literarum vestrarum comperimus, retractemus, & alia nonnulla instantis temporis necessaria, prout petitis, ponamus.

I.

Est namque synodicis decretum institutis, vt nemo episcopum penes sæculares arbitros accuset, sed apud summos primates.

II.

Si quis aduersus episcopum causam habuerit, non prius aliosepiscoposadeat, vt eum accuset, quam familiariter ei suam indicet querelam, & ab eo aut iustam emendationem, aut rationabilem percipiat excusationem, ipsa nos instruente veritate: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si te non audierit, adhibe duos vel tres tecum: & si non hos audierit, dic ecclesiæ*, id est, accusa eum publice, & non prius. & reliqua.

*Math. 18.
Luc. 17.*

III.

Si quis episcopum post hæc elegerit accusare, summis primatibus episcoporum suam indicet causam, & non sæcularibus, qui magis ad pacem quam ad iudicium eos reuocent, vt caritas in omnibus & ab omnibus custodiat. Si primates accusatores episcoporum cum eis pacificare familiariter minime potuerint, tunc tempore legitimo eos ad Synodum canonicè conuocatam, non infra angusta tempora, canonicè conuocent, & non prius quam eis per scripta significant quid eis opponitur, vt ad responfionem præparati adueniant. Nam si aut vi, aut timore eiekti, aut suis rebus expoliati fuerint, nec canonicè euocari ad Synodum possunt, nec respondere æmulis debent, antequam canonicè restituantur, & sua eis omnia legaliter reddantur.

*5. q. 2. Si
primates ac-
cusatorum.*

IV.

Si quis episcoporum fuerit suis rebus expoliatus, aut a sua ecclesia vi aut timore expulsus, quod omni Christia-

Concil. Tom. 3.

li ij

no nomini est inimicum, oportet & decet * episcopo-
rum propositum semper prima fronte cedere, vt omnia
quæ ei ablata sunt, potestati eius legaliter reddantur, &
præful prius restituatur, & postea non statim, sed diu &
per spatiosa tempora suis potestatiue dispositis, & ad
suam necessitatem præparatis, ad tempus veniat ad cau-
sam; & si iuste visum fuerit, accusatoribus respondeat
suis.

V.

Nulli infami atque sacrilego de quocumque liceat
negotio aduersus religiosum Christianum, quamuis hu-
milis seruilisque persona sit, testimonium dicere, nec
de qualibet re, actione, aut inscriptione Christianum im-
petere.

VI.

Si quis episcopus legitime accusatus, & supradicto
ordine ad Concilium canonicè conuocatus fuerit, absque
vlla trepidatione ire debet; & si ire non potuerit, pro se
legatum ad Synodum mittat.

VII.

Nullæ causæ a iudicibus ecclesiasticis audiantur, quæ
legibus non continentur, vel quæ prohibita esse no-
scentur.

VIII.

Si quis aliter non acquieuerit, nisi vt episcopum ac-
cuset, supra taxato hoc tenore agere debet, quia aliter
rata non potest accusatio existere. Tunc primo accusati
causam accusator apud primates canonicè deferat. Nec
a communionem prohibeatur accusatus, nisi ad electorum
iudicium canonicè conuocatus, infra tres aut sex vel plu-
res menses pro suis rationem redditurus venire distulerit.
Quod si probare potuerit, quod non noluerit, sed non
potuerit venire, nihil ei nocebit. Ille vero, qui vi aut ti-
more a sede pulsus, aut suis rebus expoliatus fuerit, non
prius vocetur ad Synodum, quam ei omnia legibus red-
integrentur. Et tam diu in sede propria pacifice & pro-
testatiue cuncta disponens resideat, quamdiu expulsus
vel expoliatus carere visus est rebus. Cum autem ad iu-
dicium venerit, si voluerit & necesse fuerit, induciæ ei
petenti a patribus constitutæ, absque impedimento con-

1. q. 2. Tam
diu in sede.
Et in dec.
Iuo. lib. 43.
q. 3.
Cum accu-
satus ad.
Et in dec.
Iuo. lib. 4.

* Episco-
porum
proposi-
tum sem-
per prima
fronte
solicitem
esse.
* In dicit
proposi-
tum re-
perimus
frontem
cedere.
Et idem
habere
in dec.
Iuo. lib.
43.

cedantur, & iudices a se electi tribuantur, vt in loco vnde est ille qui accusatur, aut si alibi alicuius temerariæ multitudinis vim metuerit, locum sibi congruum eligat, quo absque timore suos, si necessitas exposcerit, testes habere, & absque impedimento suam canonicè sententiam finire valeat, quia multa per subreptionem euenire solent.

IX.

Vt testificandi, vel accusandi licentia denegetur his qui Christianæ religionis & nominis dignitatem, & suæ legis vel sui propositi normam, aut regulariter prohibita, neglexerint.

X.

Multum derogatio præualet, quando derogatori creditur. Ideo variis detractionibus atque accusationibus non decet labefactari primatem, sed magis patrum regulis roborari. Nec facile aut indifferenter suscipere accusationes præsumat, dicente Domino: *Non suscipias* Exod. 24. *vocem mendacii*: sed prius probare debet suspicionem & causam, aut quo animo hoc faciat, & postmodum suscipere: quia veritatis professionem, propinquitatis, inimicitia, timoris, amoris, odii & cupiditatis intentio impedire, & aduersâ fratribus irrogare solet.

XI.

Personæ accusantium tales esse debent, quarum fides & conuersatio & vita probabilis & absque reprehensione sit, & quæ omni careant suspitione: quia & hoc, te præsentem, vt bene nosti, in Nicæna Synodo, propter maiorum hominum infestationem, ab omnibus diffinitum est, licet prauorum hominum insidiis sint hæc & alia quam plura deleta.

Hic nota quædam de decre. in Nicæna Synodo deleta.

XII.

Primates illi, & non alii sint, quam in Nicæna Synodo sunt constituti. Reliqui vero, qui metropoles tenent sedes, archiepiscopi vocantur, & non primates, salua in omnibus apostolicæ sedis dignitate, quæ ei ab ipso Domino est concessa, & postea a sanctis patribus roborata.

XIII.

Primo semper in omni episcoporum accusatione, vita, persona & conuersatio accusantium enucleatim in-

quiratur : & postmodum ea quæ obiiciuntur , fideliter
pertractentur : quoniam nihil aliter fieri * debet, nisi im- * decet,
petitorum prius requiratur fides, personæ, vita & actus
discutiantur : quia non debet prauorum aut insidiantium
hominum pernicie, vita lacerari innocentium. Sane sæ-
pissime boni a malis persequuntur, qui non cessant suis
* calamitatibus aliis derogare. Ideo summopere proui- * eplu-
dendum est, ne hæc fiant. mis alio
delega-
re.

XIV.

Nullus seruus, nullus libertus, nullus infidus, nul-
lus criminibus irretitus, nullus calumniator, nullus qui
inimicitias studet, nullus qui frequenter litigat, & ad ac-
cusandum vel detrahendum est facilis, nulla infamis per-
sona, vel omnes, quos ad accusanda crimina publica le-
ges publicæ non admittunt, permittantur episcopos ac-
cusare : quoniam accusatores & accusationes, quas leges
sæculi non recipiunt, qua ratione sacerdotalis eas recipe-
re debet ordo, inuenire nequeo, cum hæc & in Nicæna
Synodo prohibita sint, & illi magis ab istis, non isti ab il-
lis iudicari debeant ; & Apostolus dicat : *Spiritualis iudicat*
omnia, ipse vero a nemine iudicatur.

XV.

Hæretici, a quibus nimium opprimimur, excommu-
nicatique, homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores,
venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falsum te-
stimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magosque con-
currerint, nullatenus ad accusationem vel ad testimo-
nium erunt admittendi.

XVI.

Nec ita in ecclesiasticis agendum est negotiis, sicut
in sæcularibus. Nam in sæcularibus postquam legibus
vocatus venerit, & in foro decertare cœperit aliquis, non
licet ante peractam causam recedere : in ecclesiasticis ve-
ro, dicta causa, recedere licet, si necesse fuerit, aut si se
prægruari viderit.

XVII.

Quoties episcopus super certis accusatur criminibus,
si tales fuerint accusatores, qui iuste & canonicè recipi
debeant, legitima in Synodo suo in tempore congregata,
ab omnibus canonicè audiatur, qui sunt in prouinciis,

episcopis. Quod si legitimi non fuerint accusatores, non fatigetur episcopus: quia sacerdotes ad sacrificandum vacare debent, non ad litigandum. Nec illi, qui Throni Dei vocantur, prauorum hominum insidiis turbari debent, sed libere Christo Domino famulari.

XVIII.

Quamquam comprouincialibus episcopis vna cum eorum metropolitano, suæ prouinciæ causas episcoporum liceat caritatiue & concorditer agitare, non tamen (sicut in prædicta, te præsentē, constitutum est Synodo) licet definire absque Romani pontificis auctoritate. Quod si secus a quibusdam præsumptum fuerit, ipsi qui hoc egerint, suæ præsumptionis suscipiant damnum: & illi, qui ab eis perperam excommunicati aut damnati fuerint, auctoritate huius sanctæ sedis, & beati præceptoris nostri clauigeri Petri potestate soluantur, atque restituantur. Ipse enim ait Dominus: *Quæcumque solueris super terram, Math. 16. erunt soluta & in cælis.*

XIX.

Quoties episcopi se a suis comprouincialibus, vel a metropolitano putauerint prægrauari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent sedem, ad quam eos absque vlla detentione, aut suarum rerum ablatione libere ire liceat. Et dum prædictam Romanam matrem appellauerint ecclesiam, aut ab ea se audiri exposcerint, nullus eos aut excommunicare, aut eorum sedes surripere, aut eorum res auferre, aut aliquam eis vim inferre præsumat, antequam eorum causa Romani pontificis auctoritate finiatur. Quod si aliter a quoquam præsumptum fuerit, nihil erit, sed viribus carebit. Nam nec hoc perperam præsumimus, sed & ipsum in Nicæna Synodo constitutum, & antecessores nostros egisse, bene Athanasi nostri: quoniam quando tu & Paulus Constantinopolitanus, Asclepius Gaza, & Lucianus Adrianopolites, ab orientalibus episcopis, inconsulto sanctæ memoriæ Iulio prædecessore nostro, damnati estis, & ad eum quasi ad totius orbis caput (vt semper huic sedi sanctæ licitum fuit) confugistis, cognita eorum nequitia, & vestra iustitia, vos in communionem suscepit, & omnium vestrum curam gerens, propter sedis propriæ dignitatem, suas singulis

reddens ecclesias, orientalibus scripsit, culpans eos, quod non recte tractassent viros inculpabiles de suis ecclesiis expellentes, & constituta Nicæni Concilii minime conseruantes. E quibus ad certum diem nonnullos sibi met adesse præcepit, vt de talibus præsumptionibus certam redderent rationem, & coram eis ostenderet, iustum se super eis protulisse decretum. Interminatus est etiam non talia deinceps fratres esse passuros, & nisi ab huiusmodi præsumptionibus cessarent, a propriis esse gradibus eos recessuros. Tali enim huius sanctæ sedis priuilegio tu & fratres tui proprias recepistis ecclesias, cum omnibus sibi pertinentibus. His enim & aliis quam plurimis documentis manifestum est, nullum damnari, aut suis expoliari rebus debere episcopum, qui hanc sanctam sedem interpellauerit, aut sibi defensatricem adsciuerit, donec iudicium de eo nostræ apostolicæ auctoritatis, hoc est, principis apostolorum Petri agnoscat, quia solummodo Christus Iesus huic sanctæ sedi, id est, apostolicæ, hoc facere commisit, vt pote quoniam solus atque præ omnibus præfatus princeps apostolorum creditus est, atque percipere meruit a rege regum Christo Deo clauis regni cælorum.

Matth. 16.

XX.

De induciis vero episcoporum, super quibus consuluitis, diuersas a patribus regulas inuenimus institutas. Quidam enim ad repellenda impetitorum machinamenta, & suas præparandas responsiones, & testes confirmandos, & consilia episcoporum atque amicorum quærenda, annum aut sex mandauerunt menses concedi, quidam autem annum, in quo plurimi concordant. Minus vero quam sex menses non ^{*recepti} reperi, quia & laicis hæc indulta sunt, quanto magis Domini sacerdotibus? Nam & a nostris antecessoribus, atque reliquis sanctis patribus multoties inhibatum est, ne quis Domini sacerdotibus detractiones irroget: quanto magis accusationes, non ex radice caritatis prolatas? Quiescite, inquit, & nolite persequi eos, qui perfecte Deo ministrant, quorum orationibus & terrena bella sedantur, & recedentium a Deo angelorum pelluntur incurfus, quique omnes dæmones, qui corrupti sunt, precum assiduitate confundunt. Induciæ namque

Supra in principio huius decreti Nicæni Concilium.

que non sub angusto tempore, sed sub longo spatio concedendæ sunt, vt accusati se præparare, & vniuersos communicatores in prouinciis positos conuenire, testes præparare, atque contra infidiatores se pleniter armare valeant.

XXI.

Iudices enim & accusatores tales esse debent, qui omni careant suspicione, & ex radice caritatis suam desiderent promere sententiam. His ergo tam legaliter, quam & canonicè prolatis, etiam omnium Christianorum reuerentiam congaudere deposcimus, spiritali intercedente dilectione & timore Dominico, per quem humana remouetur offensio, & ecclesiarum ædificatio præponitur vniuersis, vt magis vniuersi ad ædificationem fratrum laborent, quam ad damnationem; quoniam ait Dominus: *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Iam enim formam dedimus, & a prædecessoribus nostris datam esse cognouimus, vt si quis se agnouerit Christianum, illud seruet quod ab apostolis noscitur esse contraditum, dicente apostolo Paulo: *Si quis vobis annuntiauerit præter quod accepistis, anathema sit.* Christus enim Dei filius, Dominus noster, humano generi propria passione salutem plenissimam condonauit, vt nos liberaret. Et si Deus in tantum nos dilexit, vt etiam proprio filio non parceret, sed pro nobis omnibus illum traderet, vt nos liberaret: vt quid nos non diligimus fratres, aut eos temere iudicamus, cum prædictus dicat Apostolus: *Nolite iudicare inuicem, sed hoc magis iudicate, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* Nam si illi qui fratres diligunt, ex Deo nati sunt, & vident Deum: quid ergo erunt illi, qui eos persequuntur, & eos detrahendo, machinando, accusando, infestando, damnare moliuntur? Si illi filii Dei, procul dubio hi filii sunt diaboli, qui semper, *sicut leo rugiens circumcui, quærens quem deuoret,* ita fratres insequuntur, vt perdant. Qui vero adiuuare fratres refugiunt, maius peccatorum onus acquirunt, & fraternitatis solatio rei existunt. *Væ, inquit Propheta, qui potum dat amico suo, mittens fel suum.* Et iterum sapientissimus Salomon ait: *Quoniam qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudiciū.* In cogitationibus enim impii interrogatio erit: sermonum autem illius

ad Deum perueniet auditio, ad correptionem iniquitatum illius: quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurantium non abscondetur. Hæc enim si amplecti voluissent proprio & sano sensu, ad reprobum minime laberentur, sed per Dei timorem sermonum suorum præcauentes custodiam, piam sanctorum patrum definitionem sine quadam nocumēti præsumptione utique conseruarent: quoniam dicit sacrum eloquium: *Consilium bonum conseruabit te, & mens bona custodiet te.* Non enim de fontibus salutiferis spiritualiter ad acquisitionem æternæ vitæ procedunt tales accusationes & detractiones, atque ideo competenter nos B. Paulus admonens, ait: *Non debere plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* In definitione pietatis perduremus. Qui enim hanc prætereunt, non tantum ipsi sunt decedentes a corroboratione sua, sed insipientiæ suæ dereliquerunt omnibus memoriam, ut in his, in quibus peccauerunt, minime latere potuissent. *Gloria enim & contumelia in loquela: & in lingua hominis, casus illius est.* Ideoque conueniens est, hanc quidem ostensionem reprehensionum illorum nostris actibus inferi, ne ulterius iam talia patiamini, seminantibus illis zizania & scandala, sed lætari in officiis & dogmatibus vestris mereamini. Igitur erubescant talia, & huiusmodi blasphemia subtrahere festinet, si noluerint a sacerdotali nostro collegio segregari, & a Christiani populi societate diuelli. Licet namque de his plura & pernecessaria, quæ in decretis sedis apostolicæ & ab apostolis eorumque successoribus, nostris videlicet prædecessoribus, statuta inueniuntur, dicere & conscribere potuissemus, tamen melius nobis visum est, ut epistolâ oratione claudamus. Deus omnipotens, & huius vnigenitus filius & saluator noster Iesus Christus, hoc vobis tribuat incitamentum, ut omnibus fratribus & coepiscopis nostris, quibuscumque tribulationibus laborantibus, totis succurratis viribus, & cum eis compatiētes, crucem eiusdem Domini saluatoris portetis, ut veri ipsius discipuli coram omnibus appareatis, ut & vos, & qui vobiscum sunt, hic & in futuro pollideatis meliora, *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se*, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & cum quo omnipotenti Deo Patri

Prov. 2.

Eccles. 5.

1. Cor. 2.

* ab his
infund
blasph
nia in
sub.* mu
n

gloria in sæcula sæculorum, amen. Valere vos opto, fratres carissimi. Data Idibus Februarii Agario & Iuliano viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA II.

FELICIS PAPÆ II.

AD EOSDEM ET AD RELIQUOS

DOMINI SACERDOTES.

De patienti sufferentia persecutionum & tribulationum.

Felix sanctæ vniuersalis ecclesiæ papa, atque per gratiam Dei catholice & apostolicæ ecclesiæ urbis Romæ episcopus, vna cum sancto Concilio nostro reuerentissimorum sacerdotum, huc nobiscum conuenientium, in confirmatione piissimorum catholicæ ecclesiæ dogmatum, & reuelatione oppressorum fratrum, coepiscoporum videlicet nostrorum, qui rectam Nicæni Concilii tenent fidem, & qui fratres non infestant, vniuersis spiritualibus fratribus nostris, & reliquis in sacerdotali collegio Domino consecratis, atque omni plenitudini ecclesiæ catholice.

GRATIA vobis & pax multiplicetur in confortatione & sancti Spiritus communionem, quatenus in eo proficientes, a gloria in gloriam, virtutes annuntiemus ^{1. Pet. c. 2. v. 9.} eius, qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum, apud quem non est transmutatio, nec ^{1. Jac. c. 1. v. 17.} vicissitudinis obumbratio. Portate, fratres, hortamur, persecutiones & tribulationes patienter, vt eius inueniamini filii, quem quotidie patrem vocatis Deum in cælis: & in eo vincatis omnia, qui propter nos vicit omnia. ^{Rom. 8.} Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Imitatores quoque Dei conuenit in omni verbo & opere imitari Deum. Ideoque illud oportet nos dicere, quod ipse de se perhibuit Dominus: ^{Ioan. 14.} Veniet princeps huius mundi, & in me nihil inueniet. Venerunt & illi qui vos & nos persequuntur, quia vos sine nobis persequi non possunt, quoniam vnus Dei membra sumus, & vnum illius sacerdotium per eius sanctificationem retinemus, & in nobis de suis nihil inuenerunt: quia quidquid sumus, gratia Dei sumus, licet propterea calumniari nos irrationabiliter studuerint, quod facere solent ini-

Concil. Tom. 3.

Kk ij

mici, suam ex hoc cooperire dementiam properantes, quatenus per mendacium veritatem valeant obumbrare. *Scripsi enim vobis*, inquit beatus Apostolus, *per multas lacrymas, non ut contristemini, sed ut sciatis, quam caritatem abundantius habeo in vobis.* Etenim detrahentibus detrahere, non est bonum, * ut non ad ea quæ scripta sunt, commoti, iniuriæ certamen efficiamus. Non debemus omnino timere opprobrium hominum, neque eorum exprobrationibus vinci, quoniam hoc nobis Dominus iubet per *Isaiam prophetam*, dicens: *Audite me, qui scitis iudicium, populus meus, in quorum cordibus lex mea est. Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne timeatis.* Confidentes etiam quod in psalmo scriptum est: *Nonne Deus requirit ista? Ipse enim nouit abscondita cordis, & cogitationes talium hominum, quoniam vanæ sunt. Vana autem locutus est vnusquisque ad proximum suum, & labia dolosa in corde, & corde locuti sunt mala. Sed disperdet Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam. Qui dixerunt, labia nostra a nobis sunt: quis noster Dominus est?* Nam si hæc in memoria retinerent, minime ad tantam profilerent iniquitatem. Non enim per probabilem & paternam doctrinam hoc faciunt, sed ut suam exercent in seruos Dei vindictam. Scriptum namque est: *Via stulti recta in oculis eius. Et sunt viæ, quæ videntur homini iustæ, nouissima autem earum deducunt ad mortem.* Nos enim qui hæc patimur, iudicio Dei hæc referuare debemus, qui reddet vnique secundum opera sua. Qui etiam per ministros suos intonuit, dicens: *Mibi vindictam, ego retribuam.* Vos enim in recta fide, & pura ac bona succurrite voluntate vicissim, nec aliquis a supplemento fratris subtrahat manum: *quoniam in hoc*, ait Dominus, *cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem.* Vnde & ipse per Prophetam loquitur, dicens: *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Spirituali dico habitaculo & concordia, quæ in Deo est, & vnitatem fidei huius delectabilis, secundum veritatem inhabitaculi, * quæ videlicet in Aaron magis decorabatur, atque sacerdotalem induentibus dignitatem, sicut vnguentum super caput, principalem intellectum irrigans, & vsque ad ipsam extremam scientiam deducens. In hoc enim habitaculo benedictionem & æternam vitam promisit Dominus. Huius

1. Cor. 2.

Isa. 51.

Psal. 43.

Psal. 11.

Prout. 12.

Prout. 14.

Ier. 25.

Denter. 32.

Rom. 12.

Ioan. 13.

Psal. 132.

ergo prophetica vaticinationis meritum amplectentes, fraternam præsentem syllabam exposuimus, nostra propter caritatem minime quærentes, aut quæsituri. Non enim detrahentibus bonum est detrahere, aut palo, secundum vulgarem fabulam, excutere palum. Absit. Non sunt nostra ista: quapropter hæc auertat diuinitas. Non sunt edocti habitus nostri ita vincere, sed in patientia longanimitatis & spiritu humilitatis: quia sicut per duritiam minime (vt propheticè dicamus) *purgatur nigella*, ita nec *pa-* Dan. 3. cis soporatus fructus intelligentiæ per asperitatem exprimitur. Propter hoc enim & verborum supportauimus colaphos, vt vel paulatim valeamus eum imitari, qui propter nos se humiliare dignatus est, & extremæ illius vltionis per hanc plagam verba declinemus. Audiamus ergo, & consentiamus ecclesiæ oratori, qui per linguam Spiritus sancti clara voce exclamat, dicens: *Omnia vobis in caritate* 1. Cor. 16. *fiant*: Ergo siue quarimus, siue tantummodo dicimus, & tantummodo audimur, caritas intercedat. Ars aliqua existat ad compositionem concordia boni & coniunctionem. Oportet enim, de Deo quærentibus nobis spiritu rectitudinis mentis nostræ dinumerantes intentiones templum pacifice inhabitare in eum propter Dominum, qui per Prophetam locutus est: *Querens quære, & apud* Isa. 21. Iuxta 70. *me habita*. Speculum enim dedit nos Deus populo suo, & oportet eos, qui a Deo sunt deputati sacerdotium adipisci, ita in humilitate gressuum mentis adinuicem tendere, vt in melius ædificentur hi, qui ad nos respiciunt, quam (quod dicere * piget) per nostram discordiam semitam pedum eorum concutere. Ad concordiam inclinemus nos ipsos, * & vnum in caritate sapiamus. Humilitatem veneremur, per quam apprehendi solet altitudo spiritus. Si enim amplius vsq; adhuc taciturnitatem, quam verborum garrulitatem * dileximus, hoc quidem bene habere arbitrati sumus, ne scriptis vestris reciproca respondentibus, iniuriæ fomitem exhortemur, & pusillanimitate diiudicemur ab eo, qui omnia ad caritatem dirigere promulgauit. Orauimus vero & tunc ostium circumstantiæ labiis nostris imponi, & verbum insonitum concipere potius quam * verbum sonabile: & hoc tamen mihi donum est a Domino, & *factus sum sicut homo non audiens, & non ha-* Psal. 37.

Kk iij

*Ecclef. 3.**Psal. 50.**Psal. 118.**1. Pet. 3.*

bens in ore suo redargutiones. Sed quia tempus est loquendi & tempus tacendi, aperio verbum, & claudio ostium per taciturnitatem, competenter exorans: Domine labia mea aperies, & respondeam exprobrantibus mihi verbum. Licet enim tacuissimus, non semper tamen tacebimus, adaperiente nobis Domino claves verbi. Igitur directi in præsentia a beatitudine fraternitatis vestræ apocrifarii, post multas factas inter nos de ecclesiastica requisitione dissonantes sermocinationes, in fine ad hoc peruenerunt, admonentes nos atque hortantes interpretari vnus veri Christi Dei nostri voluntatis intellectum, atque huiusmodi interpretationem destinare vestræ sacratissimæ venerationi. Nos autem acceptâ habentes bonæ conscientiæ prædictorum venerabilium virorum admonitionem, cognoscentes autem & quæ principatus apostolorum summitas docet, paratos esse ad satisfactionem omni poscenti verbum de spe, quæ in nobis est, secundum Dei timorem, mansuetudinemque ad bonam scientiam temperantes, super tali tantummodo requisitione mentem nostram per has syllabas exponimus, superfluam exercitationem & altercationem verborum, propter satietatem & præsentis temporis incongruitatem, declinantes ac præcauentes, nihil omnino aliud intelligentes, aut proferentes vel dicentes, quam quod audiuimus & cognouimus a sanctis & vniuersalibus magnis apostolis, eorumque successoribus, & patres nostri enarrauerunt nobis, & audientes prædicauimus, ad supernam tendentes vocationem. Nostrum est studium, vbi pacis constitutio manet his, qui in stadio pietatis sunt, bene vnica gloria intercessori tribuitur & corona. Deo manifestati sumus, qui iudicat omnia, & comprobat. Non iurgialiter stamus, non ad contradictionem respicimus, nec fauorem inanem amplectimur: sed in verbo Dei proposito, huiusmodi requisitionis resolutionem fecisse dignoscimur, confidentes quoniam pacis Dominus Deus ad alterutrum nostrorum vnitatem & dilectionem conferuabit in gloria eius benignissimæ maiestatis. Omnem cum vestra beatitudine in Christo existentem fraternitatem, tam nos, quam qui nobiscum sunt, multum salutamus. Data 8. Kalend. Nouembris Philemone & Artico viris clarissimis consulibus.